



**G**otschalckus filius Vdonis Vandali insigni  
 corporis & animi fortitudine fuit præditus.  
 Itaq; Vandali in Oldenburgo & finitimis locis ha-  
 bitantes, eum sibi ducem eligerunt. Cum autem ea  
 gens, præsertim quæ uersus Sarmatiam habitaret,  
 nondum Christiana religione imbuta esset, Gode-  
 schalckus Christianos mirum in modum perse-  
 quebatur, atq; suas superstitiones mordicus reti-  
 nere contendebat. Accidit autem cõmode ut Ka-  
 nuto regi Daniæ inseruiens sub Heinrico tertio Ce-  
 sare, anno 1040, Christus ei prædicaretur, atq; pau-  
 latim in uera fide institueretur, ita ut Baptismum  
 susciperet. Hanc religionem cum auide didicisset,  
 non minori zelo quàm prius errores contra impios defendit. Itaq; omnes ad  
 uirtutes & pietatem hortabatur. Quod si etiam in quibusdam locis p̄ij aut do-  
 cti ministri deessent, ipse (raro principum exemplo) cathedram ascendit, atq;  
 Christi Euangelium eis annunciauit. Itaq; partim prædicatione, partim terro-  
 re plurimos homines Septentrionales Christianos effecit, & Euangelij lucem  
 undiq; propagauit. Non minori etiam iustitia & fortitudine Rempub. admi-  
 nistrabat, atq; subditos in officio continebat, ita ut maxima autoritate apud  
 omnes alios principes esset. Ex eius familia comites Aldenburgici & Holsa-  
 tiæ, ipsiq; Daniæ reges suam originẽ habuere, Alb, Crantz, In Vandal. li. 3. ca. 1.